



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.45. Tiberii obitus. Mauritius Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. cumbenti, amici, qui Eutychium invi-
 A. C. 582. lebant, narrarunt, quod se præsentibus
 cutem manus suæprehendens diceret:
Confiteor, nos omnes in hac carne resur-
recturos. Hinc eo defuncto S. Grego-
 rius in illum errorem inquirere desit,
 quia præterea vix paucos invenire erat,
 qui hanc opinionem sequerentur. Eu-
 tychius Dominica post Pascha quinta A-
 prilis anno 582. obiit, at Ecclesia Græ-
 corum ejus Memoriam sexta colit. Die
 ab obitu ejus sexto electus est Joannes
 Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanae
 Diaconus Cognomento jejunans, qui il-
 lam Sedem annis tredecim tenuit.

Menol. 6.
April.

Theoph. p.
213.

§. XLV.

Tiberii obitus. Mauritius Impe-
rator.

Chr. Pasch. Tiberius Imperator, cum vires defice-
p. 376 rent, Mauritium Cæsarem quinta Aug.
Theoph. ibi. eodem anno 582. Indictione decima quin-
 ta pronuntiavit. Porro decima tertia
 ejusdem Mensis Constantina filia sua ei-
 dem in Matrimonium data, ipsum a Joanne
 Patriarcha Imperatorem coronari jus-
Theoph. ibid. sit. Tiberius die sequente e vita ces-
 sit, postquam a Justini obitu annis qua-
Evagr. V. tuor imperasset. Mauritius annis vigin-
hist. c. 19. ti Imperium tenuit, natus Arabissæ in Cap-
 padocia ex Familia, quæ olim Roma
 Constantinopolim migraverat. Ab Im-
 pera-

peratore Tiberio exercitibus Præfectus magnam sibi laudem bello peperit. Vir annorum quadraginta trium prudens, sobrius, gravis, secreti tenax. Non omnibus sine discrimine aures indulgebat. Imperium auspiciatus eximia Clementiæ dedit specimina. Inter amicos habebat S. Gregorium, atque ipso Patrino natam sibi prolem e fonte lustrali levare voluit.

Sæculum VI.
A.C. 582.

Evagr.VI.
c. 2.

Mauritium Imperii fasces adeptum memoria subiit vaticinii, quod S. Theodorus Siceota ediderat; cum enim aliquando a Tiberio Imperatore in Persas movere iussus fuisset, illis devictis in reditu per Galatiam iter faciens S. Viri fama invitante ad ipsius specum, in quo versabatur, venit, & pedibus ejus advolutus rogavit, ut sibi a Deo prosperam ad Imperatorem profectionem impetraret. Vir Sanctus, postquam preces ad Deum fudisset, Mauritio dixit: *Fili mi! si S. Georgii Cultor fueris, brevi cognosces, te ad Romani Imperii fastigium evehendum esse, jamque te rogo, ut cum Imperator fueris, pauperes alas.* Tum Mauritium verbis suis fidem adhibere hæsitantem Theodorus ex hominum turba evocat, eique diserte prædicit, Imperatorem futurum. Postquam impletum est Vaticinium, Mauritius datis ad S. Theodorum litteris ipsius precibus se

com-

Sæculum VI. commendavit, hortatus etiam ut quod
A. C. 582. cunque exoptaret beneficium, a se pe-
 teret. Rogavit S. Theodorus, ut Mona-
 sterio frumentum in pauperes erogan-
 dum concederet. Mauritius illi Mona-
 sterio sexcentos modios singulis annis
 pendendos imperavit, & poculum misit,
 peculiare S. Theodoro donum.

§. XLVI.

S. Theodori Siceotæ initia.

Sanctus Theodorus in Galatia Siceonii
 prope Civitatem Anastasiopolitanam
 natus erat Matre in publico hospitio pro-
 fituta Patre Belliduce, qui ad Provin-
 ciam regendam commigrans illuc forte
 diverterat. Natum mater statim bapti-
 zari curavit, sollicite educavit, & ipsa
 vitam omni culpa vacantem ducere in-
 stituit. Filius ejus ab unguiculis devo-
 tissime colebat S. Georgium, cujus hono-
 ri sacra Ecclesia in vicini montis vertice
 stabat. Adolescens vitam anachoreti-
 cam amplexus in specu a Festo Nativi-
 tatis Domini usque ad Dominicam Pal-
 marum inclusus, diebus tantum Sabbati
 & Dominicis sponte nascentes fructus &
 olera manducabat, quod rigidissimum
 jejunii genus toto vitæ tempore observa-
 vit. Theodosius Episcopus Anastasiopo-
 litanus eximias ejus virtutes cognoscens
 ordinavit Presbyterum, etiamsi necdum
 annum

vit. c. 1.

c. 2.

c. 3. n. 21.